

Band X., Nr. 4453, Seite 191-192

Heinrich erwählter und bestätigter Bischof von Konstanz erneuert und vermehrt die von seinen Vorgängern dem Kloster Marchtal bewilligten Vergünstigungen.

Konstanz, 1293. Dezember 3.

Heinricus dei gratia Constantiensis ecclesie electus et confirmatus viris religiosus et in Christo karissimis . . . preposito et conventui monasterii de Marthello ordinis Premonstratensis salutem et sinceram in domino caritatem. Ad imitationem pie memorie predecessorum nostrorum et precipue domini R.¹ nostri predecessoris vestre indulgentium caritati, quod ecclesias Marthel Bilringen Ambra et Wachingen, quarum vobis competit ius patronatus, vestre mense indigentie deservientes in divinis per vestros confratres officiare licite valeatis et quod ratione officiationis huiusmodi ecclesiarum vestris confratribus in collectis, que ratione consolationum earundem ecclesiis imponuntur, contribuere non debeatis quodque decanorum vestrorum non pareatis institutis, dummodo de iure bannalium nobis ab eisdem ecclesiis debitis satisfiat, ac quod vestri fratres, quos ydoneos elegeritis, sine preiudicio parrochialium ecclesiarum fidelium confessiones audiant eosque de confessis et contritis peccatis absolvant iniuncta eis pro modo culpe penitentia salutari et quod vere penitentibus et pure confessis, qui ad audiendum sermonem quem ad populum proposuerint devote convenerint, triginta dies de iniuncta sibi penitentia valeant relaxare, indulgentias ab eisdem nostris antecessoribus vobis factas prout rite et rationabiliter late sunt seu concesse auctoritate ordinaria confirmamus ratas et gratas habentes easdem quantum permiserit ordo iuris. Quia vero in nostris negotiis vos ferventes cognovimus et fideles quodque personas nostrorum antecessorum liberaliter recepistis nostramque deo dante cum familia nostra recipietis, vos et vestra nobis sepius exponendo, condigna recompensatione vobis condescendere cupientes a contributione collectarum, que monasterium vestrum ecclesiasque vobis pertinentes tangunt vos absolvimus per presentes, nobis ipsam contributionem solummodo exigendam de cetero reservando.

Datum Constantie, anno domini MCC nonagesimo tertio, III. nonas Decembris, indictione VII.

¹Urkunde von 1292 Dezember 11.

II

Nach dem Vidimus des Bischofs Heinrich von Konstanz von 1295 Dezember 3, vgl. dessen Abdruck als Urkunde WUB, Bd. X, S. 422f, Nr. 4763. Beides, obige Urkunde sowohl als das Vidimus, sind Fälschungen zum Zweck der Erweiterung der klösterlichen Rechte an die vier Kirchen, von denen die Wachinger erst 1292 in seinen Besitz kam, vgl. die Urkunde WUB, Bd. X, S. 63ff, Nr. 4279. Von den Verfügungen seiner Vorgänger, auf die der Bischof hinweist, ist außer der Urkunde Bischof Rudolfs von 1292 Dezember 11 besonders die gleichfalls gefälschte Bischof Heinrichs von 1245 Juni 22 (WUB, Bd. IV, S. 101, Nr. Nr. 1045) zu nennen.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

B 475 U 43

Überlieferung und Textkritik:

Vidimus von 1295 Dezember 3.

Regesten:

Urkunden Obermarchtal, S. 77, Nr. 99.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Konstanz

Ortsindex:

Achalm : Reutlingen RT

Achalm Wohnplatz (15987)

Kirchbierlingen Wohnplatz (16782)

Kirchbierlingen, Ehingen (Donau), UL

Konstanz Wohnplatz (14442)

Konstanz, KN

Obermarchtal Wohnplatz (16905)

Obermarchtal, UL

Unterwachingen Wohnplatz (16969)

Unterwachingen, UL